



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Hebdomas Patientiæ Sive Methodus Facilis Totam
Septimanam Inter Omnes Fortunæ, Ac Vitæ, Coeterosque
Causas Humanas In Sancta Quietate, Pace, Et Patientia
Transigendi Ex Consideratione, Imitatione Et ...**

Dietmer, Georg

Moguntiaë, 1674

Dies Martis. Pater tuus, & ego dolentes quærebamus Te. Lucae 2.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46586](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46586)

tantus malefactor tantum hoc medio
consecutus sit salutis beneficium.

DIES MARTIS.

Pater tuus, & ego dolentes quæreba-
mus Te. *Lucæ 2.*

CAPUT I.

*Tertia consideratio magnitudinis dolorum B.
V. MARIÆ ex unione & assimilatione
passionis ipsius cum passionibus
Salvatoris.*

Tot, tantique dolores patientis Do-
mini JESU fuere, quod apprimè
nosti Parthenophile, ut non ambigant
complures Doctores eos infernalibus
comparare suppliciis, juxta illud *Psalms.*
Dolores inferni circumdederunt me. Simile
quid de dolorosa Matre tuâ astruunt
comprimis graves, & eruditi scriptores;
videturque ipsa Virgo testari, cum in-
quit *Cant. 1.* *Nigra sum, sed formosa, sicut
tabernacula Cedar, sicut pelles Salomonis.*
Hæc siquidem verba Carthusianus pa-
tien-

tienti Virgini aptans, sic scribit allo-
 quens Dominam: *Nigra eras sicut taber-
 nacula Cedar, quia tunc cum stabas juxta cru-
 cem reputabaris vilis, iniqua, deformis, sicut
 impiissimi seductoris Mater infelix; cum esses
 pulchra instar pellium Sâlononis, & cœlisformi
 pulchritudine perornata, assimilata decori pa-
 cifici viri, qui extendit cœlum sicut pellem.*

Quibus verbis innuit Dionysius, Vir-
 ginem dolorosam simul deformitatem
 ac nigredinem inferorum cum pulchri-
 tudine, ac gaudio Beatorum in cœlo
 conjunxisse, dum staret, ac mœstissima
 doleret juxta crucem; ait enim *nigra
 sum sicut tabernacula Cedar, hoc est adustio-
 rum, quorum nomine damnatorum tor-
 menta capi possunt. Dolores itaque
 tristissimæ Virginis tanti fuerunt, ut
 iudicio quorundam excefferint crucia-
 tus quantumvis acerbissimos purgan-
 tium animarum, imo damnatorum tor-
 menta æquârint, ut docere videtur S.
 Bernardin. apud Salaz. super prædicta ver-
 ba cantie. in expositione de B.V. accommo-
 datque Dei Matri juxta crucem stanti,
 ac doloris gladio transfixæ verba psal-*

morum 87. & 93. *vita mea inferno appropinquavit. Et illa: paulo minus habitasset in inferno anima mea.* Vide *Christ. Vegæ Theologiam Marianam.* Porro omnium dolorum istorum etsi complures causæ fuerint, inter illas tamen, si non præcipua, ex primis saltem cense-ri potest summa illa, & inexplicabilis unio afflictissimæ Matris cum afflictissimo filio obrationem maternitatis, vi-
 cujus arctissimi nexus omnes dolores Christi erant communes Matri. Hinc S. Hieronymus apud *Coruelt fol. 292. Quot læsiones in corpore Christi, tot vulnera in corde Matris; quot clavi perforantes, quot idus percutientes, & carnem rum-
 pentes, tot sagittæ per oculos intrantes, & to-
 tum cor, & Virginis animam vulnerantes.* Et S. Anselmus apud eundem: *Ô Domina quot fontes lacrymarum dicam erupisse de pudicissimis oculis tuis, euis attenderes unicum fi-
 lium tuum, innocentem coram te flagellari, liga-
 ri, mactari, & carnem de carne tua ab impiis crudeliter diffecari? Ex quo arctissimo insuper nexu Matris cum filio tantus præterea doloris sensus in castissimis visce-*

visceribus Virginis exortus est, quantus
 ex nulla divisione, sive solius continui,
 sive animæ & corporis possit exoriri.
 Unio enim illa & amicitia quæ animæ
 intercedit cum suo corpore, vel continui
 ad suas partes, etsi ingens sit, collata ta-
 men cum unione animæ Virgineæ ad
 animam talis, ac tanti filii non modo in
 comparationem venire non potest, sed
 pro nihilo prorsus existimanda, hæc
 enim supernaturalis est, illa naturalis;
 hæc ascendit ad fines divinitatis, illa
 naturæ finibus continetur: hinc anima
 MARIE incapax fuisset tot, tantorum-
 que dolorum, nisi divinitus ad eos fe-
 rendos elevata fuisset, quod aperte
 designant SS. PP. testimonia, quæ velut
 gemens columbula Parthenophile me-
 ditaberis. S. Bernardinus tom. 1. serm. 61.
 c. 2. *Tantus fuit dolor Virginis, quod si
 in omnes creaturas, quæ dolorem pati possunt
 divideretur, omnes subito interirent.* S. Ber-
 nardus serm. 25. in Cant. *Est etiam sagitta
 electa amor Christi, quæ Mariæ animam non
 modo confixit, sed etiam pertransiit, ut nul-
 lam particulam vacuum in virginali pectore*

relinqueret, sed toto corde, tota anima, tota virtute diligeret. Ex quo facile colligis propter summam unionem omnes Christi dolores intensissime persensisse DEI Matrem. Præclare ad rem nostram D. Ubertinus: sicut ipsa (Dei Mater) per solam gratiam Redemptoris, ipsum Redemptorem genuit; sic per eandem gratiam, dolorem suæ mentis plenissimè sola participavit. Eleatrix enim gratia quæ ipsam ad dignitatem Matris elegerat, totam ad compassionem filii morientis impellebat. Ut immentos præterea dolores SS. Matris tuæ penitus animo imprimas Parthenophile, considera, firmiterque apud animum tuum statue, Christi passionem ac sanctissimos ejus dolores tantos fuisse, quantos damnata per peccatum Adami, humana conditio sigillatim in unoquoque potuisset, & pati debuisset. Unde inexplicabilis rursus dolorum magnitudo in Dei Matre provenit, nam à Domino JESU spinis coronato, quot spinæ caput filii, tot vulneribus cor Virginis transfodiebant. Et sicut Christus tanquam caput Ecclesiæ, & tanquam princeps causa
ope-

operabatur salutem humani generis, torrentem imo rectius oceanum passionum & dolorum ex hauriens; sic Virgo tanquam proxima Christo, & ut eam appellat Bernard. collum capiti immediate connexum, cooperatrix nostræ salutis, & mediatrix nostra, tot tantisque acerbis & afflictionum oneribus, tantaque concurrantium malorum patientiâ, ea sibi munera, ac cœlestia charismata comparare debebat, quæ in hominum genus, præsertim Parthenophilos suos deinde effunderet, ut vere mare amaritudinis exstiterit: & vide sis num hoc satis apertis verbis expresserit jam supra D. Ubertinus *cita. à Convelt. pag. 893.* sic ergo inquit: *Ab aliquibus dicitur, quod illi dolores fuerunt in corde JESU à Divinâ Sapientiâ immissi; & quia divina sapientia videns infinitatem culpæ, & offensionum, etiam tantum dolorem requirebat, ut plena, & abundans satisfactio earundem daretur; & quia nulla creatura poterat in tantam dolorum mensuram nisi per unionem Divini suppositi dilatari in summo: ideo debebat hominem assumere in unitate per-*

sonæ, ut ex tali unione assumptam naturam ad illius inæstimabilis mensurationis receptandam capturam proveheret. Et deinde concludit: *Tantum enim dolorem Christus debuit assumere tanquam caput Ecclesiæ, & tantum debuit illi sapientia divina infundere, quantum sufficeret ad prædicta omnia bona conquirenda ex eius passione.* Pergit deinde ad propositum nostrum Parthenoph. his verbis: *sicut ergo fuit in Christo homine, sic & in ipsius Matre, quod ad illam immensurabilem mensuram dolorum JESU supra omnem creaturam spiritu sancto influente accessit, quantum status maternæ pietatis, dignitas participationis Jesu, & naturæ consortium requirebat.* Et ideo *Beatam Virginem tantum replevit in summo Deus Christi doloribus, quantum omnis creatura non posset capere materiali statu non evedta.* Ita & *B.V.* ipsi magis condoluit, quia ipsa videbat, quod omnium dolores in se portabat; imo sicut ipse fuit omnium Redemptor; ita fuit ipsa omnium mediatrix, excusatrix & advocata omnium peccatorum. Et ideo cum esset ipsa advocata mundi, tantum dolorem spiritus sanctus infudit ejus visceribus, quantum sufficiebat omnium electorum genitrici, ad

ci, ad

ei, ad excusandam mundi ingratitude[m]; quia durâ morte sic expellebat de sua fabrica suum authorem, qui ad ipsos eruendos de faucibus mortis, de sinu Patris advenerat servilem assumendo naturam. Unde ipsa pro se, & pro toto mundo, digne Deo morienti, & de se genito exhibebat lamentum. Atque hoc demum, nisi fallor, genuinum videtur esse fundamentum, quod complures, qua sanctitate, qua eruditione nobilissimi Patres astruunt, omnem nobis salutem, ipsamque beatitudinem per Virginem concedi. Arnoldus Carnot. *serm. de laud. V.* sic Virginem alloquitur: *Erat tunc una Christi, & tua voluntas, unumque holocaustum: ambo pariter offerebatis DEO, tu in sanguine cordis, ille in sanguine carnis, unde communem in mundi salute cum illo effectum quoque obtinisti.* S. Germanus *orat. de Zona: Nullus est, qui salvus fiat, nisi per te O sanctissima: Nullus est qui liberetur à malis, nisi per te O purissima! nemo est cui donum concedatur? nisi per te O honestissima.* Maria itaque Mater tua Parthenophile Salvatorem nostrum in procuranda hominum salute, quodammodo adjuva-

bat; justioreque titulo Adjutorium Christi dici potest, ac debet, quam primi parentis Eva. Hinc præclare omnino Hugo Charen. in *Psal. 9.* Hæc, inquit, est adjutorium Altissimi, quia juvat eum ad salvandum genus humanum, inde de ipsa vere dicitur *Gen. 2.* faciamus ei adjutorium simile sibi. Neque est cur hoc criticus quidam, forte non sat catholico loquendi modo consonum arbitretur, si enim *1. Cor. 3.* Paulus recte dixit: *Dei sumus adjutores,* eo quod cum divinâ gratiâ hominum salutem impense quæreret, cur id non longe meliore verioreque titulo de dolorosa nostra Virgine dixerimus? quæ nos tanta dolorum vehementiâ sub cruce à moriente Jesu filios suscepit, & Deo peperit. Felix iterumque felix mi Parthenophile, qui in adjutorio hujus Virginis habitas! qui enim habitat in adjutorio altissimæ Domine, in Dei cæli protectione commorabitur. *Rich. à S. Laurent. Lib. 2. de laud. V. p. 1.* Sunt crede mihi Angeli sancti in procuranda nostra salute adjutores, nosque tuentur, ac protegent; Verum nec dolores nostra causa,
 vel

vel lacrymas norunt effundere, nec aliqua desolatione afficiuntur; sed semper vident faciem Patris, qui in cœlis est; Maria autem acerbissimos cruciatu sustinuit. Sunt sane cœteri beatarum sedium incolæ pro nobis intercessores, sed hi omnes si uni Virgini comparentur, omnino parum, aut nihil videntur efficere, condiderat animalia Deus in paradiso, omnesque creaturas reliquas, easque omni ornatu, & splendore decoras, sed tamen in omnibus iis non inveniebatur adiutorium simile Adamo. O singularis prorsus gratia Virginis, nulli alteri creaturæ concedenda! Nimirum misericordiæ Mater Patrem misericordiarum juvit, & in fugandis, evertendisque hominum hostibus sola opem Deo ferre censetur, sola *adiutorii* nomen promeretur. Quid retribuam tibi Domine Jesu pro tantis tuis doloribus, me ut servulū redimeres toleratis? quid rependam sputis, colaphis, calumniis, cœterisque injuriis, quibus me vilissimum mancipium in libertatem vendicasti? Quid sacratissimis

mis

mis tuis vulneribus, quid aridissimæ
 linguæ pro me felle & aceto potæ? Eheu!
 dulcissime frater, clamat sanguis tuus
 pro me in cœlum! eheu suavissime JE-
 SU, unice dilecte cordis mei, inter cru-
 ciatus, vepres, spinas & flagella! Quid
 rependam amatori, qui eligit pro me
 mori? *Tu delevisi chirographum decreti,*
quod erat contrarium mihi, & ipsum tulisti de
medio, affigens illud cruci, Tu expoliasti prin-
cipatus, & potestates. Coloss. 2. Eheu Do-
 mine Jesu miser, & egenus quid repen-
 dam tantis tuis erga me amoribus? So-
 quere cor meum intra me, dic Jesu tuo
 Salvatori, non aliud, hoc solum: Domi-
 ne tu scis, quia amo te. Quis ergo me
 separabit à charitate Jesu? non præte-
 rita, non instantia, non futura, nō mors,
 non infernus, non aliquid aliud. Patien-
 tissime Jesu ure, seca, divide, scinde,
 amore tui patiens ero, Tu enim amor
 meus crucifixus es. Sed nunc O mœ-
 stissima, O dolorum tantorum gladio
 transfossa Mater mea, nam & tuis quid
 rependam amorosis & amarissimis do-
 loribus, quibus salutem meam cooperata
 es?

es? quid sanguineis illis lacrymis, quid
mœstissimo cordi, quid tristissimis auri-
bus, quid castissimis visceribus, quæ
tot cruciatuum tormentis propter me
vilissimum peccatorem contremuerunt?
Nam & tu impetrasti deletionem chirogra-
phi diaboli, signata per Ester, quæ litteras A-
man fecit irritari. Rich. lib. 4. de laud. V. Tu
Virgo es pudicissima, quæ chirographum abo-
levisti decreti, & protoparentum abstulisti op-
probrium, mœrenti sæculo stillicidia gratiæ ir-
rorasti, & ipsum sæcunda ditasti fruge, tu per-
eunti mundo (michi) & aquarum diluvio in-
undantē portum salutis aperuisti. Quid tibi
Domina servulus abjectissimus repen-
dam. Ah utinam scindatur cor meum
ense ac mucrone, qui sanctissimum tuum
pectus pertransivit! Nolo, nolo, Ma-
ter audire, filius tuus nisi sim & filius
dolorum; tuis doloribus ab infantia
consecrato, utinam vel modicum te-
cum perpeti liceret! O mœstissima Ma-
ter, recordare omnium cruciatuum
tuorum, & exerce me tibi, qualiscuncq;
sim, tuum tamen filium, sed per passio-
nem filii tui Jesu, & per dolorosam com-
pas-

pas-

passionem tuam te rogat humillimus peccator, gratiam & constantiam in omnibus adversis mihi obtine, O dulcis, O clemens, eo piissima Virgo Maria!

CAPUT II.

Patientia colenda ex amore & compassione dolorosæ Matris Dei in afflictionibus animi, quales sunt: Tentatio, ariditas, scrupuli, molestæ turbationes &c.

Quam devotæ animæ gaudium afferat Parthenophile conscientia quieta & tranquilla, breviter expressit magnus ille doctor spiritus Thom. Kemp. devotissimis hisce verbis: *Habe bonam conscientiam, & semper habebis lætitiā.* Expressit & S. Augustinus ad Fratres in eremo ser. 10. hisce verbis *O felix conscientie puritas! O felix Sanctæ conscientie jucunditas, quæ vermem interioremem excludis, quæ à carcere doloris liberat rationem, quæ ab omni immunditia purgas mentem! O mens sancta, O paradysus deliciarum, variis bonorum operum virgultis consita, variisque virtutum floribus*

ribus purpurata, & suaviter cœlesti gratia irrigata! Hæc est fratres mei paradisus, in qua plantatur lignum vitæ & cœlestis sapientiæ: hæc est thalamus Dei, palatium Christi, habitaculum spiritus sancti. Expressit etiam S. Bernardus hac sententiâ: Nihil est jucundius, nihil est securius bonâ conscientia, mundus enim volubilitate circumrodetur, ploret, rideat, pereat, transeat, nunquam marcescet conscientia, subigatur corpus in pœna, jejuniis maceretur, verberibus laceretur, equuleo distendatur, gladio trucidetur, supplicio affligatur, securâ erit conscientia. Unde à contrario facile intelligere poteris Parthenophile, quanta crux sit, quantasque angustias afferat remorsus, & turbatio ejusdem conscientia. Credo equidem te non facile capere, quid tibi loquar, nisi hocce malo tentatus aliquando fueris, equidem sic existimo, nullum tormentorum genus reperiri posse, quod in comparisonem cum hoc possit venire; cum enim afflictiones reliquæ quasi ad hoc ab optimo DEO nobis immittantur, ut nos arctiore quodam vinculo connectant eidem, nosq; ad ipsius opem, solatium,

latium,

latiumque implorandum excitent, habet hoc prorsus contrarium inquieta conscientia, ut vel, si ex peccato orta sit ea turbatio, hominem à Deo vel longissime removeat, vel certe si ex scrupulo, remotum insimulet, unde fons gaudii & consolationis eidem quasi oclusus omnino videtur. Accedit quod ea animi affectio interna sit & spiritualis, quæ & gravius hominem urget, quam ceteri corporales cruciatus, & difficilius admittat remedium; cum quæ prope unicum hocce in morbo sit, prudenti scilicet animæ medico vulnus aperire, ejusdemque medicamentis acquiescere, contingit tamen non raro, ut vel volens obtemperare, æger vix sustineat, nimirum in contrarium continuo reclamante conscientia, quam velut proximam humanorum actuum regulam homini sequendam liberalissimus Deus addixit. Sciens hoc vaserrimus veterator dæmon, homines non omnino impios, imo subinde non mediocri virtute præditos, hocce dolo aggreditur, ut sive mendaciis, & falsis persuasionibus sive importunis

ten-

tentationibus, & scrupulis quietem pacemque animi perturbet; ex quo illud imprimis consequitur, ut exercitium virtutis abiiciant, angoribus impliciti caput turbent, valetudinem subinde lædant, immorigeri & inobedientes superioribus existant, impatientiâ, noxiâque tristitiâ non raro delinquant. quosdam blasphemis cogitationibus contra Deum, & sanctos, impiis contra fidem & sacras cæremonias, injuriosis & suspicacibus contra proximos, & superiores exstimulat, dumque turbato capite misera anima non sat gnara quo se vertat, modo se consensum præbuisse, modo causam, vel posuisse, vel non sat præcavisse existimat, eò fere subinde adducitur, ut collum laqueo injicere potius, quam pristinæ quieti se reddere posse videatur. Hinc in oratione ariditas, in conversatione desolatio, in actionibus omnibus turbatio, cum qua recte fieri nil potest, existit. Quidam anguntur, quod se peccasse addubitent, finguntq; elephantem, ubi sanus oculus vix muscam intuetur; alii se in confessione sacra-

cra-

cramentali vel non omnino, vel non expresse satis commissa declarasse; alii ne identidem in gravissima, ex sua quidem mente, scelera prolabantur, metuunt. Sed innumerabiles hujusmodi sunt conscientiaë tricæ, quas nemo facile vel internoscet, vel sanabit, nisi qui simili aliquando morbo conflctatus est. Ego perpensis omnibus, commodius remedium, si fors hac tam durâ quadam animi molestia labores Parthenophile, tibi præscribi non posse existimo, quam si in ea afflictione, humili patientia expectes consolationem à Domino, donec is gratiæ suæ radios cordi tuo immittens nebulas ejusmodi, & obfuscationes depellat. Ages hoc igitur in internis ejusmodi cruciatibus, ut amore dolorosæ & desolatisimæ Matris tuæ patienti animo omnem eorum impetum sustineas, teque exemplo Matris tuæ afflictissimæ, ad fortiter ferendam hanc crucem exsuscites. Neque est quod ambigas, Dominam omni solatio aliquando destitutam fuisse; tum, cum tri-duo lumen oculorum suorum perdiderat,

rat,

rat, tum maxime, quando à moriente filio audiit ea verba omni spiculo & ense acutiora : *Deus Deus meus, ut quid dereliquisti me.* Poterat profecto tum de Virgine dici illud *Thren. 1. facta est quasi vidua Domina gentium, plorans ploravit in nocte, & lachrymæ ejus in maxillis ejus; non est qui consoletur eam ex omnibus charis ejus & Thren. 2. Cui comparabo te, vel cui assimilabo te filia Jerusalem, cui adæquabo te, & consolabor te Virgo filia Sion? Magna est velut mare contritio tua, quis medebitur tui; deduc quasi torrentem lacrymas, & per diem, ac noctem non des requiem tibi, neque taceat pupilla oculi tui.* Et respondere poterat dolorosissima Mater : *Submersum est cor meum in memet ipsa, quoniam amaritudine plena sum.* Poterat de Domina dici, quod quondam Helisæus ad Giezi *4. Reg. 4. anima ejus in amaritudine est.* Versa scilicet erat tum cythara salutionis & gaudii sui in luctum, & ploratum. Nemo ei tum *Xaige* sive ave dicebat; Nemo illuminatricem Mariam nuncupabat, cum velut luna eclipsata mœstitiâ palleret. Gemitatque potius, quam ediceret : *Nolite me vocare Noëmi, id est pulehram, quia amari-*
ritu-

ritudine replevit me Dominus, Ruth. I. Non
 tum gratiosa, sive gratia plena, cum de-
 precaretur, ut Dominus miseretur
 communis filii, & ipsum filium gemen-
 tibus præcordiis rogaret, & Consolato-
 rem optimum sanctum spiritum medul-
 litus invocaret, & Pater se audire dissi-
 mularet; Et spiritus Paracletus deso-
 latam relinqueret, solus filius verbum
 diceret; Ecce filius tuus; quod verbum
 cor Virginis seu spiculū dirupit, cū so-
 latii loco, discipulum pro tanto filio re-
 ciperet. Invocabat illa mortem, ne filio
 suo Jesu superstes sine amore & suo sa-
 latio viveret, & fugiebat ab ea. Ingemi-
 nabat crucem: flecte ramos arbor alta,
 tensa laxa brachia, ut recipiam amo-
 rem meum, verum rigida & immobilis
 perseverabat. *Posuerat itaque Domi-
 nam mors filii prorsus desolatam, & tota
 die dolore confectam; & mœstum factum erat
 cor ejus; & contenebrati oculi ejus. Ceciderat
 corona capitis ejus, & defecerat gaudium cor-
 dis ejus.* Venerat Virgo in altitudinē ma-
 ris, & tempestas demerferat eam, infixam
 erat in limo profundi, & non erat sub-
 stan-

stantia, & qui eam consolaretur non erat; unde & ipsam credibile est, Patri æterno cum moriente filio dixisse: *Ut quid dereliquisti me.* Tu igitur Parthenophile discè à Matre, quod ipsa didicit à desolatissimo filio, imitare in eo Matrem, in quo ipsa imitata est filium, & cordis angustias, desolationem spiritus, ariditatem mentis, conscientiaë scrupulosam inquietudinem fac animo forti, magnoque feras. Poterat Pater æternus audire, ac suum consolari filium, poterat filius Matri solamen afferre, & poterat cœlesti gaudio irrorare sponsam S. Spiritus; sed magis complacuit Patri, ut imbecillitas humana in Christum prævaleret, ejusque caro acerbissimis doloribus absque ulla consolatione subjaceret; quod ut certius consequeretur, sensibilem Christi partem in puris naturalibus reliquit, torrentes vero æternæ voluptatis sic cohibuit, ut ad cor non transirent, amovendo ab ejus mente, & cogitatione rationabili longius omnia objecta gaudii; à voluntate inferiore omnem dulcedinis & solatii ma-

E

teriam

teriam ablegando ; contra vero omnigenas afflictiones & angustias accersendo. Scio satis quid hinc reponas scrupulose, & tristis Parthenophile. Velle te scilicet libenter eam desolationem, cordisque angustias perferre, modo nosse, eas cum nulla culpa Deum offendente conjunctas esse. Præclare omnino! tandem in te quatrat, quod scripsit Gregorius : Bonarum mentium est, ibi agnoscere culpam, ubi nulla reperitur. Si ita est, cur metuis ? an tu sic afflictus metu peccati te DEO displicere posse existimas ? an tu iis suggestionibus te consensum præbere autumas, quas si à te depellere posses, vitam poneres, & sanguinem ? imbelle hoc tuum est iudicium ; Pater est Dominus, qui ad tempus probat filium, ut ex tanta desolatione ereptum, æterno voluptatis torrente aliquando exsatiat. Ex quo ulterius progredior, dicoque non solum patienti, sed etiam læto animo tibi ejusmodi desolationem, & ariditatem perferendam esse. Vel enim amantissimu tuus Jesus eam infligit, propter commissa in-

dies

dies venialia peccata, & imperfectio-
nes, ob quam causam per sæpe evenire
docet magnus Magister Spiritus S. Igna-
tius Loyola, & S. Laurentius Justin. *lib.*
de casto connub. c. 24. his verbis: *quo-*
niam nullus est, qui non saltem in multis venia-
libus offendat, equidem nemo invenitur, cui
sæpe divinus non subtrahatur gustus. Vel certe
propter culpam aliquam præteriti pec-
cati; vel superbiæ, aut præsumptionis;
quibus casibus, ut dixi, gaudendum tibi
potius, quam animo turbandum est,
cum sic aliqua ratione divinæ justitiæ,
satisfiat. Ob quam causam gaudebat
Ludovicus de Ponte ex nostra societa-
te, infernum esse, & purgatorium; solet-
que hoc gaudium enasci ex solido Dei
amore, & odio peccati, magna que cog-
nitione divinæ excellentiæ, ac reveren-
tia ejus majestatis, quod manifeste pa-
tet in extrema desolatione Jesu & Ma-
riæ. Consuevit & divina benignitas ejus-
modi ariditatem, scrupulosque subinde
piis animabus immittere pro majori
meritorum incremento, quod doloro-
sa Mater tua Maria S. Brigittæ his ver-

bis dixit: *Turbari non debes, si quando eorum tuum induratur, quia hoc est ad majorem coronam.* Et clarius V. Baptistæ Verana ab ipso Christo, qui cum sic alloquitur: *Recordare quod Deus te clare fecit intelligere, plus mereri te, dum stas ante divinam majestatem sine devotione, quam cum stas cum multis lacrymis, & devotione, quia tum solvis partem aliquam debiti.* Itaque discite habere patientiam in die sterilitatis & penuriæ, recordare hanc subtractionem non esse ex odio, sed ex amore. Barthol. Cimatel. in vita apud Lyraum lib. 5. c. 2. Est & alia causa propter quam suis amicis etiam subinde tantam afflictionem immittit Deus, nimirum propriæ infirmitatis cognitio, & debita superbiolæ nostræ humiliatio. Magnus erat, qui dicebat Psal. 29. *Dixi in abundantia cordis mei, non movebor in æternum: & audi quid subjungat: avertisti faciem tuam, & factus sum conturbatus.* Quod expendens S. Bernardus serm. 74. in Cant. dixerat, inquit, *sanda anima quædam in abundantia sua, non movebor in æternum, cum subito sensit à se aversam faciem Verbi, seque non modo motam, sed etiam conturbatam,*

tam,

*tam, & sic in tristitia didicit opus fuisse sibi cum
 munere quidem devotionis, etiam pondere ve-
 ritatis. Expressit has veritates in mul-
 tis Sanctis Deus, quorum quædam
 exempla pro tuo solatio breviter subji-
 cio: S. Catharina senensis Virgo vere
 Seraphica, cum die quodam molestissi-
 mam turpissimorum phantasmatum, &
 cogitationum luctam superasset, & dis-
 jectis animæ nebulis, eam novo solatio
 Christus sponsus ejus præsens recreas-
 set; heu me, inquebat Virgo, ubi eras mi
 Domine, cum tam nefandæ animi meum
 imagines, tamque turpes ita pertinaciter soli-
 citabant cogitationes? cui sponsus: In cor-
 de tuo spectator aderam mea Catharina. Ex
 illa iterum: O mi sponse dulcissime tune in
 corde meo? eo tempore? cum tam horrendis,
 tam execrandis cogitationibus scaterent omnia?
 dic bona filia, subjunxit Christus, place-
 bant ne tibi cogitationes istæ? cui denuo Vir-
 go: absit, O absit Domine, nihil poterat cor-
 di meo esse gravius, molestius nihil, quidvis
 aliud, quantumvis grave maluissem. Ad quæ
 Christus: atque hoc ipsum ex me habebas fi-
 lia, quod ista, aversareris. Ribad. in vita.*

vides Parthenophile, quam recte mellifluus Bernardus *de inter: domo cap. 19.* dixerit: *Molesta est lucta, sed fructuosa, quia si habet pœnam, habebit & coronam: non nocet sensus, ubi non est cœnsensus, imo quod resistentem fatigat, vincentem coronat.* Et S. August. 197. *serm. de temp. Dæmon latrare potest, sollicitare potest; mordere omnino non potest, nisi volentem; nec extorquet à nobis consensum, sed petit.* Tradit Doctor Joannes Thaulerus apud Lyræum Lib. 3. c. 3. quod propria experientia didicerat, hisce prope verbis: *Novi, inquit, insignem Dei famulum, revelationibus, & visionibus cœlestibus admirandum, cui Deus plurima scripturæ mysteria ipse explicarât, hominum interna sensa, merita, gradusque gratiæ cujusque, aliaque ejus generis multa aperire solitus erat. Verum tam parum arridebant illi hæc omnia, & suspecti erant favores isti, quibus indignum se arbitrabatur, ut enixe Deum orârit, uti se iis absolveret, & exoravit. Quinque igitur omnino annos non modo vitam egit communem, atque omnis visionis & illu-*

lustra-

illustrationis expertem, verum etiam
omnis consolationis vacuum, quin imo
ariditatum, tentationum, & angustia-
rum feracissimam. Tandem & his ipse
supra modum gravatus vix respirabat,
& ægre quietem animi, ac pacem tene-
bat, cum ecce tibi, duo Angeli cœlitus
à DEO missi advenerunt, eum solaturi;
sed fortissimus athleta ad Deum con-
versus: *Domine Deus*, inquebat, *nullum*
ego solatium expeto, sat mihi est custodire lo-
cum, ubi habitas in anima mea, ita ut in eam
præter te introëat, aut in ea appareat nihil.
Quæ animi fortitudo sic DEO placuit,
ut supra alias multas prærogativas me-
ruerit à Patre cœlesti audire: Tu es fi-
lius meus, in quo mihi complacui. Bea-
ta Magdalena de Pazis simile quid huic
heroi, aut superius exercuit, siquidem
purum fel omnium desolationum visa
est sitivisse, cum enim subinde ipsi ali-
quid consolationis cœlo demitteretur,
suaviter cum Deo conquerens, aiebat:
Heu mi Domine, ut quid à partibus inter nos
conventis discedis? pepigi nullum mihi mel, aut
dulcedinem dari, nisi fel tuum, Sacetum, nul-

las delicias, nisi tua supplicia, nullum domici-
lium aliud, quam Calvaria montem; nullam
aliam vitam nisi in perfectissima conformitate
cum morte tua. Idem sapiebat, ac sentie-
bat Maria ab incarnatione Carmelitana
discalceata, Virgo virtute & nominis
celebritate insignis, hæc enim, cum æ-
grotanti antistita ipsius asseveraret,
Deum in mortis angustiis opitulaturum
singulariter, respondit: Nihil, O Mater,
peculiare à Deo mihi velim concedi, volo mo-
ri delectata, ut Christus in cruce, nullum ab eo
solatium exspecto, præter ejus gratiam, quam,
ne mihi deueget, humiliter rogo. Duvallius in
vita. Ad dam compendiose adhuc unum
de S. Ignatio exemplum, pro scrupulosæ
conscientiæ angoribus sublevandis,
quod in hunc sensum refert ejus vitæ
author Maffæus lib. 1. c. 6. Agebat vir
sanctus Manresæ, & aspirantibus cœ-
lestibus Zephyris incepto nuper divini
obsequii cursu felicissime navigabat;
cum subito solita illa lux, quâ Deus cor
ipsius illustrabat, turbatur; & conscien-
tiæ limpidissimum æquor crescentibus
in immensum fluctibus rationis navim
in

in animi syntereses, & remorsus, tanquam in explicabiles quasdam syrtes, scopulosque impellit. Angebatur sine fine, ac modo, ritene & perfecte se apud sacerdotem de peccatis accusasset; precibus interim, jejuniis, verberationibus cæterisque corporis afflictationibus se se tantum non enecabat. Sed frustra erant omnia. Ergo conatus omnes vertit in eruendis animæ abditis recessibus, iterumque ac iterum, tertio, quartoque, etiam ex scripto ingenti doloris sensu peccata enucleatissime sacerdoti exposuit; verum augetur malum, non minuitur; eoque tandem devenit, ut nec vocationem suam à Deo esse, crederet, & levissima quælibet pro ingentibus piaculis haberet, crescenteque tentatione, rupto rationis clavo, cogitaret se de alto cubiculo dare præcipitem, ut vel sic morte propria malæ conscientiæ mederetur. Verum Deus qui virum Apostolicum probare, non opprimere cogitabat, gratiæ suæ luce fecit, ut tandem apertas dæmonis fraudes agnosceret. Ast dæmon necdum cedebat. In

memoriam itaque Ignatio revocat, quendam ex priscis anachoretis, constituta sibi lege, non ante cibum gustasse, quam à Deo quod petebat, impetrasset. Ergo similem sibi legem indicit; nec in septimum diem gustat quidquam, additis quotidianis exercitiis, precibus, & vexationibus corporalibus, eratque perrecturus, nisi is, cui conscientiam crediderat, severissime eidem imperasset, interdicturus alias etiam 'S. cibo Eucharistico, si diutius à corporis refectioe abstineret. Obedivit imperanti Ignatius; ostenditque confestim Deus, quanti obedientiam istam faceret, siquidem immissa cœlitus luce, detectisque dæmonis fraudibus; primum animo redita tranquillitas, deinde tanta spirituum concessa discretio, ut nemo deinceps, quantumvis molestis & implexis conscientiaæ scrupulis affligeretur, frustra opem ab eo postulârît. Consecutæ insuper sunt multæ, mirabilesque de cœlo visiones, ac consolationes tantæ, ut merito cum propheta dicere posset *Psal. 93.*
Secundum multitudinem dolorum meorum in corde

corde meo, consolationes tuæ letificaverunt animam meam. Itaque ut caput concludam Parthenophile, si fors aliquo maiorum horum constringeris, inspice & fac secundum exempla, quæ tibi in sanctis monstrata sunt.

CAPUT III.

In honorem dolorosæ Virginis succurrere animabus in purgatorio, præsertim iis, qui singulari studio in Virginem, dum viverent, fuerunt affecta.

NE dubita Parthenophile posse coli, insigni quodam devotionis genere dolores mœstissimos sanctissimæ tuæ Matris, si singulari studio contendas, detentis in purgatoriis flammis piissimis cæteroquin animabus pro possibili tuo succurrere. Sunt enim eæ animæ Domine nostræ gratissimæ, easque non modo ipsa adjuvat, sed & suadet servis suis, ut eas precibus, cæterisque pietatis exercitiis liberando, visioni claræ Dei restituant. Sic S. Bernardinus in

illa verba Eccl. 24. sermon. 3. de glorios.
 nom. Mariæ art. 2. c. 3. ait: *B. Virgo in re-
 gno purgatorii dominium tenet, propterea in-
 quit Ecclesiastici 24. Et in fluctibus maris am-
 bulavi, pœna siquidem purgatorii ideo dicitur
 fluctus, quia transitoria est; sed additur maris,
 quia nimirum amara est. Ab his tormentis
 liberat B. Virgo maxime devotos suos; Et hoc
 est, quod ait: Et in fluctibus maris ambulavi;
 scilicet visitans, Et subveniens necessitatibus, Et
 tormentis devotorum meorum, imo Et omnium,
 qui ibi existunt; quia filii sunt, cum sint filii
 gratiæ. Salvator etiam noster Matris
 suæ, & Matris misericordiæ pietatem
 erga animas in purgatorio detentas S.
 Brigittæ revelans, lib. 1. revelat. cap. 3.
 Matrem sic alloquitur: *Tu es Mater mea,
 Tu Mater misericordiæ: Tu consolatio eorum,
 qui sunt in purgatorio: Tu lætitia eorum qui
 peregrinantur in mundo. Ex eadem S. Bri-
 gitta devotissimus scriptor Blosius cap.
 13. monil. spir. ita confirmat: Audivit S.
 Brigitta ipsam Beatam Dei genitricem dicen-
 tem: Ego sum Mater Dei, Et Mater om-
 nium qui sunt in purgatorio, quia omnes pœnæ,
 quæ debentur purgandis pro peccatis ipsorum,*
 per*

per preces meas qualibet horâ aliquo modo mitigantur. Vides Parthenophile animas purgatorio detentas filiali amore complecti á Matre tua? quid ergo ambigis gratissimum fore officium, si charissima ea pignora materno in sinu tuis precibus componere, & collocare coneris? Existimo itaque hodierna die serio tibi incumbendum, ut in honorem dolorosæ Virginis, saltem aliquas preces pro animabus ejusmodi profundas, quod ut eo facilius in opus redigas, parvum officium pro earum solatio non ita pridem in lucem editum, subjiciam.

Parvum Officium defunctorum.

Ad matutinum.

Fidelium animæ per misericordiam Dei requiescant in pace.

O Vos fideles animæ
 In Christo defunctorum,
 Sed merito prohibitæ
 Ab aditu cœlorum:
 Quam velim vobis dexteram,
 Opemque præsentare;
 Ut hinc ad cœli gloriam
 Possitis evolare!

E 7

An-

Antiph. Illuminare his qui in tenebris, & umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes eorum in viam pacis.

V. Si iniquitates observaveris Domine,

R. Domine quis sustinebit?

Oremus.

Fidelium Deus omnium Conditor, & Redemptor animabus famulorum, famularumque tuarum remissionem cunctorum tribue peccatorum, ut indulgentiam, quam semper optaverunt, piis supplicationibus consequantur. Qui vivis & regnas in sæcula sæculorum Amen.

Requiem æternam dona eis Domine, & lux perpetua liceat eis. Requiescant in pace Amen.

Ad Primam.

Fidelium animæ &c. ut supra.

O Magne Paternomine

Misericordiarum,

Facturas tuas respice,

Sed immemor irarum.

Pœnas sunt quidem meritæ,

Te tamen non negârunt :

Hinc

Hinc locus sit clementiæ,
Ignosce quod peccarunt.

Antiph. Illuminare his. Sc. cum reliquis supra.

Ad Tertiam.

Fidelium animæ Sc. ut supra.

O Jesu clementissime,
O optime Salvator,
Tuo redemptis sanguine
Sis mitis liberator.
Indulge te amantibus
Tuam benignitatem:
Pœnamque deprecantibus
Ostende bonitatem.

Antiph. Illuminare his Sc. omnia ut supra.

Ad Sextam.

Fidelium animæ per misericordiam Sc.

O Consolator optime,
O dulcis Paraclete!
Hos Tu desertos respice,
Et indigos quiete.
In hoc æstu temperiem,
Solatiumque dona;
Et post laborem, requiem,
Et sanctæ pacis bona.

Antiph. Illuminare his Sc. cum reliquis.

Ad

Ad Nonam,

Fidelium animæ Sc.

O dulcis Mater gratiæ,
 Solatrix afflictorum,
 Vim cohibe justitiæ,
 Rigorem tormentorum,
 Flammam voracem tempera,
 Et mitiga dolores;
 Incendium refrigera,
 Et fini hos angores.

Antiph. *Illuminare his Sc. ut supra.*

Ad Vesperas.

Fidelium animæ per misericordiam Sc.

Vos tutelares geni,
 Quorum sunt hi clientes;
 Quantum vestri subsidii
 Ipsi sunt indigentes!
 Piorum desideria,
 Est vestrum excitare;
 Optata refrigeria
 Clientibus curare.

Antiph. *Illuminare his Sc. V. R. Oratio
 ut supra.*

Ad Completorium.

Fidelium animæ Sc.

Vos omnes quoque cœlites,
 In regno triumphante

Sola-

Solamini hos milites
 In flammâ hâc purgante.
 Vestri in terra socii
 Cum fuerint laborum,
 Nunc & beati otii,
 Vocate & bonorum.

Antiphon. Illuminare his &c. reliqua supra.

Oblatio.

O fons misericordiæ,
 Summæque bonitatis,
 Profint piorum lachrymæ
 Hoc igne cruciatis.
 Locum tuæ justitiæ
 Agnosce infernum;
 Laudes tuæ clementiæ
 Hi cantent in æternum.

Requiem &c. Requiescant in pace Amen.

Ut te ultra confirmem Parthenophi-
 le, quo, ad dolorosæ Virginis, Matris
 tuæ honorem præcedens, aliudve, ab
 Ecclesia institutum officium frequenter
 recites, conducet, nisi fallor, nobilis hi-
 storia Illustrissimi Archiepiscopi Strigo-
 niensis autoritate approbata, & im-
 pressa, quam ex anni Mariani Sabba-
 tho septimo P. Nadasi fideliter transcri-
 ptam communicabo. Igitur Joannes
 Cle-

Cle-

Clemens Posonii civis, sexagenario major, supremo tantum septennio Catholicus, at serio pius, feliciter è vita cessit Anno 164L. Is vix dum elapso à morte mense integro, in Julio primum; deinde facile centies diversis vicibus, ac locis apparuit. Aiebat ille quidem se sacramentali confessione antiquum quoddam suum homicidium, quod pro ducentorum florenorum precio patrârat, eluisse quantum ad culpam, pœnas tamen se horrendas pati. Ergo uxori nuntiat, ut ducentos florenos pendat, illam esse summam sangvinis. Vovisse se Deo statuum Virginis Matris Jesum è cruce depositum ulnis complexæ, quæ in summo urbis templo collocari debeat: tria item sacra, duodecim cereos, & nonnullam pro egenis eleemosynam. Inde Sabbatho post diem cinerum crebra in domo noctu lumina ad lucem perpetuam transiisse comitem Nicolaum Palffii anno 1600. defunctum testata sunt, id quod Joannis etiam anima retulit. Statuario tiliam pro Deiparæ statua quærenti, ipse Joannes in
spe-

specie senis indicavit. Postea & catenis, & igne, & profundis ejulatibus, ac vocibus horridus apparebat. Crucem flammeam, pansam item dexteræ volam ita iis, quæ tangebatur, impressit, ut exureret, idque non semel. Crucifixum sacris lypsanis preciosum exosculari iussus, tertio id fecit; & inter dexterum Christi brachium, ac latus apertum in nova illa dolorosæ Virginis statua collocavit, stolamque collo Mariæ Virginis dolorosæ aptavit, & cereum benedictum Christo in sinu Matris jacentis in dextri pedis hiatus vulnus velut in candelabrum imposuit. Signa plura exposcanti respondit: se proximo Sabbathi die niveæ instar columbæ ad futurum. Omnibus vero audientibus, & iis, qui vivum Joannem Clementem probissime norant, vocem etiam agnoscentibus, inter alias, voce etiam lacrymabili fusas preces, ita distinctâ voce clare suspiravit: *O mi Deus! O Domine mi! Tu es solatium meum, & mea fortitudo! meum refugium, & mea spes!* orantibus illis: *omnis spiritus laudet Dominum; ita, inquit ille,*

&

& ego etiam. Cum alii orarent : *Requiem æternam dona ei Domine , miserere ei Domine , parce ei Domine ,* Joannis Clementis spiritus ter devote subjunxit : *Amen, Amen, Amen.* Signa plura expectantibus ob hæreticos , respondit ea, quæ dedisset, sufficere : *si hæretici , in- quiebat, nolunt credere , Deus suo tempore sufficientia illis signa daturus est ; qui credere vult, credat.* Et post plura talia *O quam magnas,* inquit, *pœnas ego sum perpeffus ! & postea : Magnas ago gratias iis omnibus, qui me in hoc liberationis meæ opere adjuverunt. Dominus Deus, & ego reddemus mercedem.* Inductâ deinde feria sexta ad S. Martini ædem principem illâ statuâ Virginis dolorosæ, promisso Sabbathi die 28. Junij anno 1642. suaviter candidulæ instar columbæ apparuisse fertur candidatus jam æternitatis, & Sabbathi æterni, illo ipso Sabbathi die adeundi, felix Joannes Clemens. Vides Parthenophile quantum profit purgantibus animabus vel sola imago dolorosæ Virginis? vides quid potissimum exigat divina justitia, quo citius placari possit, Christi scilicet

crucifixi, & inœstissimæ Matris memoriam. Ast forsan hac injecta tibi mortis memoria gravius conturbaris? ne tantopere metue Parthenoph. ea nimirum, quæ à pœnis purgatorii liberant, eadem media ab illis pœnis præservant; ex quo ejusdem devotissimi authoris te verbis *l.c.* alloquor: Habes, si bene singula in imagine dicte dolorosæ Virginis contempleris, habes in illa Jesu in Mariæ sinu jacentis statua, omnem felicis tuæ mortis imaginem. Habes Jesum & Mariam inter quos expirare desideras; ut cum Augustino felix anima tua dum mundo vale, æternitati salve dicit, inter labores agonis ultimi. In hoc Jesu, in hâc Maria, hinc lactetur ab ubere, hinc pascatur à vulnere. Habes Mariam *dolorosam*, quæ sicut mortuum Jesum, ita te morientem sinu materno complecti parata est: Habes pendulam è Mariæ collo stolam candidam, imaginem illius, quam moriens expectas stolæ immortalitatis: Habes inter apertum Jesu latus, & dexteram manum Crucifixum, inter cujus oscula
vis

vis animam deponere; Habes denique, ut æternam Sabbathi requiem invenias, & lux perpetua luceat tibi, habes in hiante pedis vulnere cereum mortualem, quem manu teneas, dum fidelis expiras. Utinam ad ultimum illum tuum vitæ cereum in agone, præter & inter alia singularia dolorum illorum, atque amaritudinum solatia, plurimas videas animas, tua opera, ex illis ignibus liberatas. Quod tum futurum confide, si tuis precibus mœstissimæ Matris in honorem Dei oblatis, quam plurimas divinæ libertatis sedibus intuleris.

Libet rem totam perbrevis confirmare historiâ ex Annuis Eccl. tom. 13. anno 1237. fuit Lanfranchinus Januensis, qui ardentissimam devotionem erga Matrem Dei ex Christi vulneribus hauserat, totus meditandis Christi acerbissimis cruciatibus intentus; hujus animam cum Robaldus Ordinis Prædic. sacerdos tempore missæ sacrificii, ubi defunctorum memoria agitur, ferventius DEO commendaret, aspexit divam Dei parentem in brachiis animam Lanfranchi-

franchini multo plus sole lucidiorem,
sibi semel, & secundo & tertio exhiben-
tem, dicentemque: Ecce anima amici
pro quo sollicitus sacram hostiam litasti.

DIES MERCURII.

Non est qui consoletur eam, ex omni-
bus charis ejus *Thren. I.*

CAPUT I.

*Consideratio quarta de doloribus B.V. de-
sumpta ex intima cognitione eorum, quæ con-
ducunt ad movendam commiserationem, & de
quibusdam aliis circumstantiis dolorem
aggravantibus.*

Nescio mi Parthenophile, num satis
liquido perspectas habeas omnes
eas causas, ob quas amor tuus dulcissi-
ma Mater tantum mœroris, dolorisque
animo susceperit. Eas penitus inspi-
cies, si sequentia puncta acuratiore tru-
tinâ mecum perpenderis. Illud impri-
mis certum, teneriora corpora & facilli-
me,